



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

4. A Vidiit Et Natos Ivssit Adesse Svos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

Item Gobelinus Persona. in Cosmodr. Ætat. 6. cap. 38. Cranzius Metrop. lib. 1. cap. 12. Georgij Fabricij Origin. Saxon. lib. 4. hæc sunt verba; *in eo loco, qui à stabulis Principum Herenstelle appellatus fuit.* Henricus de Hervordia nominat *Erestal*, alibi tamen *Herestelle*. Contra Henricus Meibomius non tam à castris eo loco positus, quàm à palatio Francico in dicecesi Leodiensi, cui situ loci & amœnitate simile fuerit, denominatum *Heristallum* putat. Palatij illius meminit auctor vitæ Caroli M. ubi villam vocat: meminit auctor vitæ Ludovici Pij, & Regino, alijque. Reinecus verò Reineccius in notis ad Poët. Anonym. *Heristallum Francicum* cum *Saxonico* malè confundit.

3. LEGATOS HIEMANS HIC REGIA DONA FERENTES. Annal. Francici incerti auctoris apud Pithæum. An. 798. *Carlus cum exercitu hiemavit in Heristallio Saxonico. Hadofuns rex Gallitiae & Hasturia, per Floram legatum suum, papilionem miræ pulchritudinis regi transmisit.* Vita Caroli M. apud Pithæum. *Venit autem ad eum legatus Adelfonsi regis Gallitiae & Asturie nomine Froja, presentans papilionem miræ pulchritudinis.* Adelm. Poëta Anonym. Regino.

4. AVDIIT. ET NATOS IVSSIT ADESSE SVOS. Astronom. apud Reuber. *Exercitum verò quem secum adduxit, per totam Saxoriam in hiberna divisit. Illuc Pipinum de Italica, & Ludovicum de Hispanica expeditione regressos ad se venire iussit: Ibi legatos Hunorum cum magnis muneribus ad se missos audivit, & absolvit. Ibi legatum Adelfonsi regis Asturicæ atque Galeticæ, sibi dona deferentem suscepit. Inde Pipinum ad Italiam, Ludovicum ad Aquitaniam remisit: cum quo & Abdellam Saracenum ire iussit, &c.* Rex autem in Saxo-

Q 2

nia

nia residens, ibi & natalem Domini & Pascha celebravit. Item Vita Caroli M. apud Pithæum. Illuc venerunt legati Avarrorum cum muneribus multis. Inde Abdellam Sarracenum cum filio suo Ludovico in Hispaniam reverti fecit, & filium suum Pipinum ad Italiam misit: ipse ad disponendam Saxoniam totum hiemis tempus impendit, & ibi natale Domini, & Pascha celebravit. Venit autem ad eum legatus Adefonsi regis Gallicia & Asturie nomine Froja, presentans papilionem mira pulchritudinis. In ipso quoque Pascha tempore Nortluidi trans Albiam sedentes, seditione commota, legatos ejus, qui ad justitias faciendas apud eos conversabantur, quosdam occiderunt, quosdam ad redimendum reservarunt: ex quibus aliqui fugerunt, ceteri redempti sunt. Rex Carolus collecto exercitu de Heristelli ad locum, qui dicitur Minda, perrexit, & contra desertores inter Albim & VVisoram peragravit totam Saxoniam. Nortluidi, cum Trascione duce Abodritorum, & Eburiso legato Domni regis commisso praelio, victi sunt, & casti ex eis quatuor millia, ceteri qui evaserunt, de pacis conditione tractaverunt. Vid. Adelnum ad An. 797. Poëtam Anonymum. Reginonem, aliòsque.

5. HIC DESIGNATAM FATO MELIORE CATHEDRAM. Designatæ hic sedis Episcopalis nullum antiquiorem testem habemus Henrico de Hervordia, & auctore Chronici Mindensis ab Henrico Meibomio editi, qui unde hoc acceperint, ignoramus. Quod si autem vera est ipsorum sententia, necessariò hanc foundationem, post Ecclesiam primò Paderbornæ conditam, & ob incolarum loci perfidiam, & odium in religionem Christianam, ut scriptor vitæ Liborianæ apud Bollandum cap. 2. refert, aliquoties igni traditam, contigisse crediderim. Certè exiguo hic tempore